

Libabo Musis . Musæ salvete ; iterum mi
 Atque iterum salvete : alias meliora canemus .
 Æ. Thyrsi , tibi formosa merum mel compleat ora ;
 Dulcibus & vescare favis atque attide ficu ,
 Vincis & argutas suavi nam voce cicadas .
 En calicem : ambrosium sentin , quem jactat , odorem ?
 Quippe suis lavisse putes in fontibus Horas .
 Huc ades , o Cissætha ; agesis Thyrsi , hanc tibi mulge .
 O capræ , saltu ne ludite , ne malus in vos
 Luxuriam solitam jam nunc exerceat hircus .

IDYLLIUM II.

PHARMACEUTRIA .

*Saga quædam Delphidem , a quo se relictam & prodi-
 tam esse dolet , veneficiis flectere ac demum reduce-
 re conatur .*

Ocyus huc lauros fer , Thestyli , fer mihi filtra ;
 Pocula purpureæ circumda hæc vellere lanæ ,
 Perfidus ut magicæ vim sentiat artis amator ,
 Qui me nondum etiam duodena luce revisit ,
 Nec de me quidquam , sim viva , an mortua , curat ,
 Nec perstans foribus malus obstrepit . illum amor egit
 Cum venere , avexitque alio pernicipibus alis .
 Cras Timageti visam festina palæstram ,
 Ludit ubi , faciamque vafro convicia : cantu
 Nunc magico experiar si possim flectere . sed tu
 Interea purum fulgero , Delia ; sacro
 Carmine te affabor primam , dea ; teque sub alta